

adjuva, ut visibilis seu invisibilis hostis nequitas triumphaliter expugnare valeat; ut una cum
sacra Rebecca, Lea, atq; Rachele, beata reverendi q; feminis, fructu uteri sui fecundari seu
gratulari mereatur, ad decorem totius Imperii, statumq; S. Ecclesie regendum nec non protegen-
dum. Per Christum dominum nostrum, qui ex intemerata B. Mariae virginis alvo nasci, visitare,
& renovare dignatus est mundum. Qui tecum vivit & gloriatur Deus in unitate Spiritus San-
cti, per immortalia secula seculorum, Amen. Ducitur deinde ad confessionem B. Petri, &
procumbit supra faldisterium sibi in eo loco paratum. Et à Subdiacono Apostolico
fit Litaniam; & ea finita prior Presbyterorum cum suis paramentis ad confessionem
descendens, stans sine mitra, dicit super eam, *Pater noster*: & deinde: *Et ne nos inducas
in tentationem.* Respond. *Sed libera nos à malo,* Vers. *Salvam fac ancillam tuam Domine.*
Resp. *Deus meus sperantem in te.* Vers. *Esto ei quesumus Domine turris fortitudinis.* R.
A facie inimici, Vers. *Nihil proficiat inimicus in ea.* Resp. *Et filius iniquitatis non apponat
nocere ei.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers.
Dominus Vobiscum. Resp. *& cum spiritu tuo.* Oremus. *Prætere quesumus Domine famule
tuae caelesti dexteram auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, consequi mereatur.
Actiones nostras quesumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cun-
cta nostra operatio & oratio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur, per Christum Domi-
num nostrum, Amen.* Finitis orationibus revertitur Presbyter ad locum suum, &
prior Episcoporum Cardinalium procedit ad altare S. Mauritii, quem Augusta me-
dia inter Diaconos sequitur. Et ibi ante altare Episcopus ipse inungit illam stan-
tem de oleo exorcisato brachium dexterum & scapulas, stans cum mitra dicens: *Spi-
ritus Sancti gratia nostra humilitatis officio copiosa in te descendat, ut sicut manibus nostris
licet indignis oleo materiali oblinita pinguescit exterius, ita eius invisibili unguine delibuta im-
pinguari merearis interiori, eiusq; Spirituali unctione perfectissime semper imbuta, & illicita
declinare tota mente & spernere discas & valeas, & utilia anime tue iugiter optare atq; o-
perari queas, & opereris auxiliante Domino nostro Iesu Christo: qui cum Patre vivit & regnat
in unitate &c.* Reducitur deinde ad suggestum suum Imperatrix, & Cardinales re-
vertuntur ad Pontificem, & Diaconi quidem depositis cappis capiunt paramenta
sibi convenientia, & faciunt reverentiam Pontifici. Deinde Pontifex procedit ad
altare per supplicationem, occurrunt tres Presbyteri, cantantur introitus à canto-
ribus, & proceditur in Missa usque ad graduale. Imperatrix à Diaconis illis quam-
vis paratis ducitur ante Pontificem: qui surgens deposita mitra super eam ante se
genuflexam dicit hanc orationem: *Deus qui solus habes immortalitatem, lucemq; habitas
inaccessibilem, cujus prudentia in sua dispositione non fallitur, qui fecisti ea quæ futura sunt,
& vocas ea quæ non sunt, qui superbos æquo moderamine de principatu ejicis, atq; humiles di-
gnanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut He-
ster reginam Israëlitica causa salutis de captivitate sua compede solutam ad Regis Assueri tha-
lamum regniq; sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ be-
nedictione, Christianæ plebi salutis gratia, ad dignam sublimemque Imperatoris nostri copu-
lam & Imperii sui participatum transire concedas, & ut Imperiali fœdere conjugii semper per-
manens pudicitie proximam virginitati palmam continere queat: tibiq; Deo vivo ac vero in o-
mnibus & super omnia iugiter placere desideret, & te inspirante quæ tibi placita sunt, toto
corde perficiat, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Deinde sedens cum mitra,
imponit illi tiaram cum corona Imperiali allatam sibi ex altari, ut diximus de
Imperatore, & dicit: *Officio nostræ indignitatis in Imperatricem solemniter benedicta,
accipe coronam Imperialis excellentiæ; quæ licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus*

Mm 3